

3/92

IDIBVS AVGVSTIS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSI in aedibus AKADIS  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hac praefatione relaturus sum verba viri Mexicani e populo Aztecorum nomine Tlakaelel, qui nuper Bernae in Instituto Ethnologico Universitatis locutus est. Tlakaelel est princeps spiritualis Aztecorum, traditionis non scriptae doctus et magister, qui in Mexico scholam et societatem spiritualem nomine 'Kalpulli Koakalko' condidit, in qua rationes vivendi et mores Aztecorum coluntur et conservantur. Audite ergo exemplum, quomodo vir Aztecus de indigenis aniversariis quingentesimis iudicet et quae omnibus hominibus huius mundi nuntiet:

"Appropinquant anniversaria quingentesima, illius temporis, ex quo cultus Europaei in Americam translati sunt. Itaque 'Dies pacis et dignitatis' (Jornadas de Paz y Dignidad 1992) constituimus, ut populis indigenis Americae facultas honorem et aestimationem accipiendi propter pugnam et perdurandi causa superstitionibus per quinque saecula superiora daretur. Eventus capitalis eorum dierum erit cursus alternus (Staffellauf), qui incipietur eodem tempore in Alasca et Patagonia (Argentina) et cuius cursores die 12<sup>o</sup> mensis Octubris in urbem 'Mexico City' convenient. Eodem die legationum omnium populorum Indorum Americae et hominum illis consentientium omnium terrarum conventus maximus solemniter habebitur.

Putamus condiciones nostras indigenarum, qui sumus, agnosendas esse. Necessarie modus reperiendus est, quo desiderium nostrum convictus pacalis cum omnibus populis terrae mundo communicemus. Non 500 annos gloriae, sed illud factum nos 500 annos superstites esse celebrare volumus, 500 annos, quibus nobis contendendum erat pro nostra autonomia, pro nostra ratione vivendi, pro nostra sodalitate Telluris, matris nostrae, et universi. Pergamus contendere pro nostris sacris ritibus et sedibus sacris conservandis, quia illis in multis locis et modis variis fraudati sumus.

Nobis in animo est his anniversariis quingentesimis mente pacis manum inicere, ut nostram rationem vivendi explicemus et simul mundo fidem nostram offeramus.

Multae fabulae et calumniae de temporibus praeteritis nostris scriptae sunt. Sed aspicienda sunt nostra aedificia magna, nostrae rationes mathematicae, disciplinae astronomicae, sodalitas Telluris, matris nostrae, ut intellegatur nostras civitates multum profecisse et pergere proficere. Hac aetate mundus valde turbatus et confusus est, et cultūs nostri multas res bonas offerre possunt, velut facultates ad discrepantias culturales vel difficultates rerum naturae tuendae et societatis humanae solvendae.

Nunc occasio adest ad aestimationem et reverentiam maiori-  
bus nostris tribuendam.

Conveniamus memores populos indigenas 500 annos heroico modo superstites esse, et pro pace dignitateque per Americam cursum faciamus."

Haec sunt verba Tlakaelelis praebentis nobis aspectum hominis indigenae de aniversariis hoc anno celebratis.

Valete!



Daniel Weissmann



#### De visitatione filiae sororis in Africa viventis

Cari amici, qui haec legetis, ne putetis me nihil nisi de feriis actis narrare scire, nunc tandem aliquando aliud mihi in animo est scribere:

Duae sorores meae ab anno millesimo nongentesimo quadragesimo quinto (1945) in Africa meridiana vivunt. Quorum soror mea minor natu nomine Hedwig in vico Arosa viro ex Africa meridiana oriundo, qui paulo antea, secundo bello gentium (im zweiten Weltkrieg) in exercitu Anglorum meruerat, valde placuit eique nupsit. Inde cum marito suo domum eius, in Africam meridianam (Südafrika), ierat, et ab illo tempore

illic cum marito vivit habetque nunc filias duas, quarum maior, nunc quadraginta annos nata, nomine Ingrid, quindecim diebus ante ad nos Turicum venit visendi causa. At iam quattuor annos nata cum matre sua, soror quae est mea, ut dixeram, ad nos Arosam venerat nataliciis Jesu Christi (Weihnachten). Tum ne unum quidem verbum dialecti sermonis nostri sciebat, et tempore festi pascae (Ostern), id est quattuor mensibus post, dialecto nostra iam celeri lingua loquebatur, sicut peregrinus quidam, qui eam loqui audiret, eam puellam Arosianam esse putaret. Paulo post cum matre, sorore mea, iterum in Africam meridianam, domum suam, revertit, neque multo post a sorore mea litteras accepi, quibus certiozem me fecit filiam suam Ingridem iterum facillime lingua sua materna loqui et dialectum linguae nostrae Arosianae plane esse oblitam. Quem nuntium magnopere mirabamur vix credentes puellam quattuor annorum tam celeriter posse linguam, quam didicerit, oblivisci et linguam maternam, quem per aliquot menses oblita sit, tam celeriter iterum loqui.

Nunc autem cum plus minus quadraginta annis post denuo ad nos in Helvetiam venisset, mirum non erat eam puellam non iam esse, sed feminam, et oravit nos, ut se in Arosam automobili veheremus, ut iterum loca posset videre, ubi puella quattuor annorum fuisset. Eius desiderio respondimus et automobili usque Curiam, inde via ferrata usque Arosam iimus. Quamvis autem Ingrid paucorum tantum locorum adhuc esset memor, tamen voluptatem magnam hausit e vico Arosa post tot annos iterum viso.

Praeterea Ingrid pluribus de causis est gavisia se per illos dies apud nos posse esse. Namque etiam Turicum, urbem nostram, monstrabamus ei pedibus circumeuntes, et valde mirata est viam stationis (Bahnhofstrasse) cum splendidis tabernis et lacum et colles silvestres circum et ecclesias 'Grossmünster', 'Fraumünster' et turrim Sancti Petri.

Quin etiam lacum quattuor civitatum (Vierwaldstättersee) videre potuit. Etenim Alexander, filius noster maximus, amicam suam, nomine Denise, in matrimonium duxit et eius eventus celebrandi causa nos omnes automobili vecti magna celebritate amicorum in Helvetiam internam (Innerschweiz) profecti sumus, primo Lucernam, inde nave magna in vicum 'Vitznau' vecti, ubi in magno deversorio (Grandhotel)

'Vitznauerhof' cenam festivam habuimus. Ingrid, quam, quod sua sponte intellegitur, invitaveramus, ut nobiscum veniret, aspectu lacus et montium circum et comitate omnium nostrum valde gavisus est. Una res tantum aliquando nobis erat impedimento, cum Ingrid Anglico sermone tantum loqui et intellegere sciret, nos contra illius sermonis non plane gnari essemus. Nihilominus muliere mea adiutrice, quippe quae diuturnum usum linguae Anglicae habuisset, iucundum colloquium habere poteramus, Ingrid narrante et de matre sua et de amita sua, quae maior natu soror est mea, et de urbe 'Durban', ubi vivit, interrogante plura etiam de propinquis consanguineisque nostris partim viventibus adhuc, partim iam mortuis, quorum notitiam habebat aliquam e narrationibus matris. Ingrid erat tam studiosa originis suae Helveticae, ut me interrogaret etiam de propinquis, quorum ne ego quidem iam essem memor. Heri sub horam nonam postmeridianam automobili Ingridem veximus ad aëriportum 'Kloten' ubi basiis multis datis et acceptis ei diximus vale. Zum aëroplanum conscendit in Africam meridianam volatura.

Emanuel Bernard



### Carmina Spiritualia Afrorum (Negro Spirituals)

Michael, appelle nunc

(Michael, row the boat ashore)



Mi-cha-el, ap-pel-le nunc hal-le-lu-



ia, Mi-cha-el ap-pel-le nunc, hal-le-lu --- ia.

2. Sancta navis eius est, halleluja!
3. Musicarum plena est, halleluja!
4. Gabriel tubicanit, halleluja!
5. Prava verba retine, halleluja!
6. Prava verba perdent te, halleluja!
7. Frater, da auxilium, halleluja!
8. Soror, navem refice, halleluja!
9. Latior Iordanus est, halleluja!
10. Iesus ultra exspicit, halleluja!

Versio Latina: Martin Meier



### COLLOQUIUM DE ITINERIBUS IN INDIA

En oculi iuvenes tui agunt perlucidi ut ipse ultra cum tenebris cineres vix cernere possim, quae surgunt auram a maesto busto crepitante, dum totum venti auxilium adstat continuo flans.

Dentes fulgentes tibi sunt, et difficile est mi nunc contra taetrum tibi acerbum dicere odorem, qui duodenos soles in mea membra subivit, plus quam si post tergum saecula multa iam haberem.

Nonne tuas per formas rectas nobilemque concinnas vultus sunt mi quoque nunc memorandi leprosi sic invitantes flectere visum orantesque viatores quo plus dare malint?

Et si vidisses loca, quae vidi et tibi dixi posthac tu numne immemor hic esses morientium? Non esses, etiam si nunc ea tota videres nostri orbis mala vel metireris cruciatus.

Iohannes Granata

# SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:      secundum praemium:      tertium praemium:  
 J. Nussberger              Bruno Schneiter              Fritz Wille  
 Ch.de la Colline 28      Rütieweg 129              Tannenweg 11  
 1093 La Conversion      3072 Ostermundigen      3073 Gümligen


His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!  
 Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

<sup>1</sup> L	<sup>2</sup> A	<sup>3</sup> C	<sup>4</sup> R	<sup>5</sup> I	<sup>6</sup> M	<sup>7</sup> A
<sup>2</sup> A	M	O	E	N	A	S
<sup>3</sup> C	O	I	B	A	N	T
<sup>4</sup> R	E	B	E	C	C	A
<sup>5</sup> I	N	A	C	U	I	T
<sup>6</sup> M	A	N	C	I	P	I
<sup>7</sup> A	S	T	A	T	I	S

1. indicium maeroris vel gaudii
2. venustas vel formosas
3. se miscebant vel conveniebant
4. nomen feminarum
5. piguit, stomachum fecit
6. servi
7. adestis vel opitulamini

Daniel Weissmann



## De Christophoro Columbo sive de praeiudiciis nostris

Si historiographorum legimus libros veterum, plerumque reverentiam in maiores invenimus eorumque laudem. Hodierni autem temporis scriptores rerum libentissime vehementer in maiores eorumque cultum irruunt, quasi homines aetatum peractarum fuissent barbari scelestissimi, nos autem essemus exempla optima. Comdemnamus exempli gratia causas in magicas, quae dicebantur, factas et torturas in reos adhibitatas, sed obliviscimur bombam atomicam, pollutionem aeris, aquarum humorumque, infantes nondum natos crudelissime necatos, torturas psychicas et physicas non minus crudeles quam aetate media.

Imprimis digito levato monstramus lapsūs et errores ecclesiae catholicae gaudio damni quodam capti eosdemque haud raro amplificamus verbis. Interrogo autem memetipsum et vos, cari legentes, utrum tantam gloriandi causam habeamus an non. Nostrum aevum ne uno grano quidem melius esse quam praeterita pro certo habeo. Nihil ex historia didicimus, sed lapsūs veteres iterum iterumque committimus.

Qua de causa consentire non possum Danieli nostro redactori et amico meo, qui pessima tantum de Europaeis primis in Americam navigantibus scripsit. Praefatio, quam composuit, plena mihi esse videtur eorum, quae Francogallice 'clichés' vocamus. Quaecumque mala in Christophorum Columbum, Hispanos missionariosque Christianos olim dicebantur et dicuntur, contulit, sed bona silentio obruit. Indianos, qui dicuntur, tantum laudavit. Ita imaginem pinxit nigram - albam, quod facere historiographo sincero et serio numquam licet. Praeiudicia potius quam facta narravit.

Qualia vero erant facta? Hoc diiudicare hodie - quinque saeculis post - difficillimum est. Attamen nonnulla constant:

Christophorus Columbus non erat primus vir Europaeus in Americam navigans. Iam Vicingi anno circiter millesimo p. Chr. n. 'novam terram' invaserant. Sunt, qui iam monachos Hibernos Sancto Brendano abbate duce anno circiter quingentesimo p. Chr. n. illuc navigasse putent.

Hispani non soli Americam expugnabant et exspoliabant. Imprimis etiam Angli Americam septentrionalem sub ditione

sua habebant. 'Patres peregrini', id est homines Angli sectis quibusdam protestanticis dediti et ob eam causam patria egressi in regionem, quae Massachusetta (Massachusetts) appellatur, Indianos non minus crudeliter tractabant quam Hispani: Dum numero minores erant, foedera feriebant cum Indianis, maiora autem facti foedera vulnerantes indigenas telis igniferis et veneno interficiebant, ut humi potiri possent. Cur talis criminis vix umquam mentio fit? An quod catholicos vituperare opportunius est quam protestantes?

Non omnes Hispani Indianos male tractabant. Noti modo sunt Fernandus Cortez, qui imperio Aztecorum deleto Mexicum expugnavit, et Franciscus Pizarro, qui Incarum imperium armis destruxit. Vix autem noti sunt detectores ceteri, inter quos exempli gratia Cabeza de Vaca, qui multos per annos pacifice cum Indianis vixit et ab eis medicus optimus habebatur et amabatur.

Numquam - vel paene numquam - interrogatur, cur Cortez et Pizarro cum viris paucissimis imperia tanta superare poterint. Indiani nisi proeliis internis vexati essent, facillime Hispanos devicissent. Incae autem et Azteci non erant gentes pacificae et benevolae, sed manu severa alias Indianorum nationes sub ditione sua habebant. Sic haud raro Indiani contra Indianos pugnabant et Hispanos quasi salvatores et liberatores salutabant.

Aegre fert Daniel noster religionem Christianam in Americam transportatam esse. Certe nullo modo laudari potest mos evangelii nuntiandi illorum militum, qui Indianis aut, ut converterentur, aut, ut interficerentur, imperaverunt. Iesus Christus enim neminem vi ad se trahere cupit. Attamen Christiano vero non licet dicere omnes religiones pares esse. Evangelium Iesu Christi toto in orbe terrarum nuntiare Christiani uniuscuiusque est. Indiani exempli gratia homines deis suis immolabant. Quid Daniel noster diceret, si hodie iter per Americam faciens ab Indianis hostia caperetur et deo solis immolaretur? Num talem cultum consuetudinemque laudaret?

Monachi ceterum plerumque Indianos benigne tractabant et tutabantur ab iniquitate militum et expugnantium auri cupidorum. Iesuitae immo civitatem Indianorum autonomam condiderunt. Religio Indianica non plane 'europificata'

est, sed ea, quae Christianismo non totaliter contradixerunt, retenta sunt. Et hodie sancta missa in America 'Latina', quae dicitur, aliter celebratur ac in Europa, non quoad partes et textus liturgicos, sed quoad carmina et musicam. Iam anno 1531<sup>o</sup> Sancta Maria Virgo Deipara Indiano cuidam Mexicano simplici apparuit postulans, ut sibi fanum strueretur. Abhinc vicus, cui nomen Guadalupe, celeberrimus locus peregrinationis tota in America 'Latina' facta est, similis Tzenstochovae, Einsidlae, Fatimae. Etiam abhinc Indiani plerique se - sua sponte - a deis indigenis ad Deum unum et verum convertere coeperunt. Valuerat enim apud eos narratio quaedam, qua vates eorum praedicabant olim deum album nomine Quetzalcoatl per mare Atlanticum ad se venisse, caritatem erga omnes praedicasse, hominum sacrificia repudiasse, deinde nave conscensa alterum mare - id est Pacificum - petiisse, sed antea dixisse se aliquando reversurum.

Nolo defendere vel minuere crimina et scelera ab expugnantibus commissa. Etiam hodie Indiani interdum male tractantur, velut in Brasiliae silvis pluviosis. Attamen duo facta semper retinenda sunt:

Ecclesia catholica plerumque ex parte crimina in Indianos commissa neque tolerabat neque incitabat, sed condemnabat. Quisquis contrarium verum esse affirmat, non documenta historica respicit, sed praeiudicia falsa divulgat.

Pessime in Indianos non Hispani, Lusitani Francogallive catholici agebant, sed Angli protestantici in America septentrionali, quia Indianos non converti, sed extinguere volebant. "Tantum Indianus defunctus Indianus bonus est!" Quae verba atrocissima non ab Hispano dicta sunt, sed a Guillelmo (William) Tecumseh Sherman, qui generalis exercitus Civitatum Foederatarum Americae primum civitates meridianas in bello civili plane vastavit, deinde Indianos scelestissime extinguere conatus est.

Protestantes enim secundum praecepta Ioannis Calvinii reformatoris putabant sortem hominis uniuscuiusque praedestinatam esse et unde fieri, ut conversio Indianorum pretio non valeret, quia iam ab initio mundi damnati essent. Fides contra catholica 'liberum arbitrium' quod dicitur, respicit: Homo ipse decernere potest, qua via eat.

Denique Daniel retineri non potuit, quin culpam miseriae incolarum Americae 'Latinae' hodiernam Americanis septentrionalibus imponeret. Qui etsi saeculis praeteritis atrocissime in Indianos 'suos proprios' saeviebant, tamen non generaliter accusandi sunt ob pauperiem terrarum Americae 'Latinae'. Hodie autem mos est Americanos omnium malorum radicem considerari. Pugnent licet contra Hitlerum, Stalinum, Saddamum Hussein dictatores quoslibet, semper ipsi maligni habentur. Doleo, quod Daniel noster hac in re quoque praeiudicium transfert! Quid de milliardis dollariorum, qui quotannis ab Americanis septentrionalibus terris Americae 'Latinae' dantur?

Tempus est, ut ad finem perveniam. Moneo vos omnes, cari lectores lectricesque, ut de expugnatione Americae libros serios legatis, velut librum ab Urso Bitterli, professore historiologo Turicensi scriptum ('Die Entdeckung Amerikas', Urs Bitterli, Zürich 1991) neve praeiudicia credatis et divulgetis, velut informationes a factionibus sinistris vel ab operibus miseriae 'Testii Mundi' leniendae destinatis dispersas. Iis, qui imprimis ecclesiam catholicam vituperare solent, suadeo, ut librum a Michaelae Müller compositum legant ('Plädoyer für die Kirche', Michael Müller (Herausgeber), Münster 1992). Qui liber inter alia capitulum continet de expugnatione Americae.

Martinus Meier Palaeopolitanus



Carmina Spiritualia Afrorum (Negro Spirituals)

Deponam...

(I' m gonna lay down my burden)



1. De ————— po ————— nam me - a



in- fra ad flu- vi - um, in - fra ad



flu - vi - um, in - fra ad flu - vi -



um, de ————— po ————— nam me - a



in - fra ad flu - vi - um nec —————



Verba repetenda

bel - lo ————— stu - de - am nec bel - lo



stu — de ————— am, nec bel- lo stu — de —————

Em Am D<sup>7</sup> C G<sup>7</sup>

am, nec bel-lo stu — de — am nec bel-lo

C Hm


stu — de — am, nec bel-lo stu — de —

Em Am D<sup>7</sup> C

am, nec bel - lo stu — de — am!

2. Deponam hastam infra ad.... 3. Deponam calceos infra ad....  
 4. Deponam arma infra ad....

Versio Latina: Martin Meier



**De disputatione anno 1550° in urbe Hispanica Valladolid  
 habita de Indianis Americae tractandis**

Hispanis Americam invadentibus orta est quaestio inter viros clericos, quomodo essent tractandi Indiani, imprimis quod ad religionem et eorum conversionem attinebat.

Huius rei documentum sit illa disputatio clara anno 1550° in urbe Hispanica Valladolid habita a Bartolomé de Las Casas (1474-1566) et Juan Ginés de Sepúlveda (1490-1573), duobus viris in hac quaestione maxime dissentientibus. Quo exemplo etiam documentum illius aetatis ipsius praebetur, ex quo apparet inter clericos homines et humanissimos et inhumanissimos fuisse.

Antea pauca de condicionibus illius temporis audite: Erat institutio quaedam Hispanice 'encomienda' nominata, qua colonis Hispanicis quaedam multitudo Indianorum in servitutem attribuebatur. Coloni obligati sunt illorum victum et educationem religiosam curare. Saepe quidem accidit, ut Indiani suis officiis abundanter, coloni vix fungerentur. Itaque Indiani, qui servorum modo tractati labores in domibus, campis, metallis non sustinuerunt, frequentes obierunt.

Non deerant clerici, qui contra hanc iniuriam et hoc genocidium pugnarent. Etiam hi critici quidem existimabant Indianos convertendos esse, quia putabant se fidem veram possidentes ad missionem obligatos esse et ex cura fraterna erga alios homines vitam innocentium protegere voluerunt. Inter quos viros eminent Bartolomé de Las Casas, 'Pater Indianorum' appellatus. Ipse olim colonus et miles in America fuerat. Sed anno 1514°, die pentecoste in capitulo 34° libri 'Sirach' legens: "...dona iniquorum non probat altissimus, in oblationibus iniquorum nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt" sibi conscius factus est culpae suae et Hispanorum. Vitam totaliter mutavit, praedia sua et servos, qui ei attributi erant, renuntiavit et per 50 annos contra servitutem et expilationem Indianorum et pro autonomia et raptorum reparatione eorum pugnabat. Erat curator animarum, monachus Dominicanus, episcopus, legatus, investigator morum Indianorum, quorum linguam sciebat et loquebatur, scriptorque. Multas relationes rogationes accusationesque



in aula regia Hispanica tulit et proposuit, quomodo Indiani pacaliter converti possent.

Assecutus est, ut imperator Carolus V. anno 1542° leges novas (Las Nuevas Leyes de las Indias) edidit, quibus 'ecomienda' abrogata est. Sed statim coloni Hispanici eas leges impugnaverunt, et his invitis ad effectum non adduci potuerunt. Iam anno 1545° Carolus V. has leges novas abrogare coactus est.

Scilicet erant quoque adversarii illius modi Indianorum bene tractandorum, inter eos Juan Ginés de Sepúlveda, qui inperialismum defendebat et cuius auctoritas in aula regia magna erat, theologus, scriptor, probatus disputationibus litteratis.

Ille vir, qui numquam ipse in America fuit, libros composuerat, quibus bellum contra Indianos religionis causa defendebat. Contra hos libros Bartolomé de Las Casas apologiam titulo 'Adversus persecutores et calumniatores gentium novi orbis ad Oceanum reperti Apologia' scripsit. Sepúlveda autem suos libros defendit quattuor argumenta principalia titulo 'Apologia pro libro de iustis belli causis' publicans.

Postremo imperator Carolus V. mensibus Augusti et Septembris anni 1550<sup>1</sup> in urbe Valladolid disputationem instituit. Convenerunt theologo, viri docti et iuris periti, magistratus imperii, ante quos de Las Casas et Sepúlveda de quaestione 'Permissum est bellum gerere ad missionem Indianorum agenda?' disputaverunt.

Legite nunc nonnulla excerpta huius disputationis, quam in commentario titulo 'Der Altsprachliche Unterricht' XXVII, 6 (1984) inveni:

**Juan Ginés de Sepúlveda:**

**Apologia pro libro de iustis belli causis (1550)**

Optimo iure isti barbari a Christianis in dicionem rediguntur.

(I.) Primum, quia sunt - aut erant certe, antequam in Christianorum dicionem venirent - omnes moribus, plerique etiam natura barbari, sine litteris, sine prudentia, et multis barbaricis vitiis contaminati. Huiusmodi autem gentes iure naturae debent humanioribus et praestantioribus parere, ut melioribus moribus et institutis gubernentur;

sed si admoniti imperium recusent, possunt armis cogi, et id bellum erit iustum iure naturae, ut auctor est Aristoteles.

(II.) Secundo isti barbari implicati erant gravissimis peccatis contra legem naturae, cuius ignoratio nemini suffragatur, propter quae Deus delevit gentes peccatrices, quae terram promissionis incolebant; cuncti enim idolorum cultores et plerique omnes immolabant victimas humanas.

(III.) Tertio innocentes homines, ne indigna morte trucidentur, servare omnes homines iubentur lege divina et naturali, si facere id possunt sine magno suo incommodo. Cum igitur isti barbari singulis annis multa innocentium hominum milia ad impias daemoniorum aras mactarent (constat enim in sola Nova Hispania singulis annis amplius viginti milia immolari solita) idque prohiberi hac una ratione posset, si proborum et a talibus et tam immanibus flagitiis abhorrentium hominum, quales sunt Hispani, imperio subicerentur: quis dubitet vel hac una ratione iustissime barbaros potuisse et posse a Christianis in dicionem redigi?

(IV.) Quarto homines periculosissime errantes et ad suam certam perniciem contententes, seu ignorantes id seu scientes faciant, revocare atque etiam invitos ad salutem retrahere iuris est divini et naturalis et officium, quod sibi etiam invitis praestari omnes homines sanae mentis vellent. Omnes autem homines, qui extra Christianam religionem vagantur, aeterna morte perire si quis dubitat, non est Christianus. Iure igitur barbari salutis suae causa ad iustitiam compelluntur.

Cum igitur duae viae sunt, quibus ad barbarorum conversionem procedi posse videatur, altera per monitionem solum doctrinamque et paredicationem difficilis, longa et multis periculis impedita, altera per subiectionem barbarorum facilis, brevis et cum multis barbarorum commoditatibus expedita: utra progrediendum sit, non est prudentis hominis dubitare.

**Bartolomé de Las Casas:**

**Adversus persecutores et calumniatores gentium novi orbis ad oceanum reperti Apologia**

## Praefatio

Non potui me continere memor me Christianum monachum, episcopum, Hispanum regibusque Hispaniarum subditum esse, quin pro defensione veritatis et decore domus Dei augmentoque adorandi evangelii domini nostri Iesu Christi calami mucronem stringerem, ut pro modulo gratiae mihi donatae Christiani nominis opprobrium abstergerem impedimentaue et offencicula dilatandae evangelicae fidei submoverem propagaremque veritatem, quam in baptismo vovi, in religione didici ac denuo, licet indignus consecratus, episcopus professus sum. His enim omnibus nominibus teneor me tamquam murum adversus impios opponere ad defensionem innocentissimae gentis breviter inserendae domui Israel, quam lupi rapaces indesinenter persequuntur. Teneor etiam ad praecludendum viam, qua tot mortalium myriades in aeternum exitium pertrahuntur, et ad defendendum oves meas, quas edito sollemni voce usque ad mortem tueri promisi adversus omnes lupos, vel ecclesiasticos vel profanos, irrumpentes in caulas meas.

(I.) Indorum gens non est tali barbarie barbara. Non enim stupidi, immanes vel efferi sunt, sed res publicas - etiam longe antequam Hispanicum nomen audissent - recte institutas habebant, nimirum optimis legibus, religiones et institutis sobrie compositas. Amicitiam colebant et in societatem vitae coniuncti longe maximas incolebant civitates, ubi tam pacis quam belli negotia prudenter ex bono et aequo administrabant, nimirum gubernati legibus, quae plurimis in rebus nostras superant et Athenarum sapientibus admirationi esse possent.

Praeterea mechanicae cuiusque artis ita periti sunt, ut optimo iure cunctis cogniti orbis gentibus hoc nomine praeferri debeant, ita arte et elegantia pulcherrima sunt, quae gens illa aedificiorum elegantia, pluma et acu pictis operibus praestat. Sed haec mechanica Sepulveda spernit, quasi in his rebus non reluceant ingenii sollertia, acumen, industria et ratio recta! Artium liberalium, in quibus eruditi hactenus fuere, veluti grammaticae et logicae, insigniter periti sunt; omni genere musices admirabili dulcedine audientium aures deleniunt. Scribunt scite et

politissime adeo, ut plerumque dubitetur, an manu descripti an vero typis excusi characteres sint.

Quodsi ex eo, quod elegantium litterarum rudes sint, bello sunt perdomandi, audiatur Sepulveda Trogum Pompeium (libro 44 prope finem): "Nec prius", inquit, "perdomitae provinciae iugum Hispani accipere potuerunt, quam Caesar Augustus perdomito orbe victricia ad eos arma transtulit populumque barbarum ac ferum legibus ad cultiorem vitae usum traductum in formam provinciae redegit." Ecce Hispana gens barbara ac efferata appellatur! Sepulvedamque pro sua prudentia respondentem audire velim, an Romanorum adversus Hispanos bellum iustum censeat, ut eos a barbarie liberarent? ac rursus, an Hispani bellum iniustum gererent, cum ab eis se acriter defendebant?

Ex his apparet fundamentum Sepulvedae, qui has gentes rudes et stupidas esse docet, falso falsius esse. Demus tamen hanc gentem non valere ingenii acumine et sollerti industria: certe non ideo tenentur sese sapientioribus subicere et eorum ingenium amplecti, ita ut, si recusent, bello illato perdomari possint et tamquam mancipia - quod hodie fit - subigi. Quicumque enim reges vel gubernatores sunt, etiam apud barbaros, ministri Dei sunt. Unde quaelibet gens quantumcumque barbara potest sese defendere a sapientiore, qui illam subigere et privare libertate velit; immo vero licite potest sapientiorem occidendo punire tamquam saevum et violentum contra legem naturae inferentem iniuriam. Hispani, qui tot horrendis stragibus, tot caedibus et plus quam Tartareis malis afflixerunt Indos, gentes quidem mansuetissimas, innoxias universis, barbari sunt et barbaris peiores.

(II.) Quod attinet ad religionem et leges spirituales, sive sint Iudaei sive Machometani sive idolorum cultores, minime subditi sunt ecclesiae neque eius menbris, sc. Christianis principibus; et ideo ritus suos celebrantes et observantes minime puniri possunt a principibus Christianis. Carent enim iurisdictione hac in parte.

Idolorum autem cultores, saltem Indi, de quibus nobis instituta est disputatio, numquam vel per famam Christianae veritatis doctrinam audierunt; unde minus peccant quam Iudaei vel Saraceni. Excusat enim aliquantulum ignorantia. Hoc supposito videmus ecclesiam non punire Iudaeorum caeci-

tatem neque Machometanae superstitionis cultores, etiamsi Iudaei vel Saraceni Christianorum finium urbes incolant; quod manifestius est, quam ut probatione indigeat. Habet enim Roma, Christianae religionis arx, Iudaeos, habet Germania, habet Bohemia Iudaeos, et habebat Hispania olim Saracenos, qui vulgo dicebantur Modejares, quos oculis vidimus. Cum ergo Iudaeorum infidelitatem ecclesia non puniat, etiam si Christianae religionis fines incolant: multo minus puniet idolatras inauditum prioribus saeculis immensum terrarum orbem inhabitantes, qui nec subditi umquam ecclesiae aut membrorum eius fuerunt nec ecclesiam quidem noverunt.

(III.) Ubi infideles huius modi crimen committentes (sc. occidere infantes ad immolandum vel comedendum) invenirentur, non semper bello infestandi sunt, licet ad ecclesiam pertineat providere de remedio tollendi impedimentum; sed prius multumque ponderandum est, ne, ut impediamus mortem paucorum innocentium, in innumeram hominum multitudinem etiam immerentium devoveamus, regna integra diruamus, odium Christianae religionis infigamus animis illorum, ita ut nusquam Christi nomen vel doctrinam audire velint in aeternum. Quin immo abstinendum est a bello et tolerandum illud malum saltem ad tempus. Sed potius excogitanda erit prudens aliqua et Christiana ratio, qua verbo Dei omnia mandant, vel monitis, precibus vel exhortationibus ab ea immanitate gentes abstineant.

Nulla est gens tam barbara, quae non habeat aliquam etsi confusam Dei cognitionem. Deo autem deberi omnia, quaecumque in hac vita debemus, et barbari naturali tantum lumine percipiunt (hoc est illis communis animi conceptio) etiam absque Dei speciali gratia vel doctrina. Cum autem pro tot beneficiis gratiam parem reponere non possimus, certe tenemur, quod nobis maximum et pretiosissimum videtur, praestare, sc. vitam hominum, praesertim cum oblatio fit pro salute rei publicae.

Haec consuetudo apud eos inveterata non potest subito convelli; ideo culpandi non sunt Indi innocentissimi, quod ad primam praedicantis evangelium vocem non expergiscantur. Neque enim intellegunt dicentem, neque statim a maiorum religione (non intellecto, quod melius est) desciscere debent; neque immolare homines etiam innocentes pro salute

totius rei publicae adeo adversatur rationi naturali, ut quasi res naturae dictamini contraria statim abominanda sit. Quodsi in huius modi immolationibus Deum offendunt, ipse solus hoc peccatum immolandi homines puniet.

Ergo in revocando ab errore hos fratros nostros sequamur apostolorum et apostolicorum virorum exempla, convellamus idolatriam, i. e. daemonum cultum ceteraque peccata verbo Dei et evangelica doctrina eo modo, quo Christus praecepit eam manifestari cum exemplo vitae, non autem bello: malitia enim non tollit, sed propagat malitiam.

(IV.) Equidem demirari satis non possum Sepulvedam. Quo enim spiritu afflatus homo theologus, senex et humaniore litteratura perpolitus venena ista porrigit orbi, ut Indiana imperia latissime patentia saevissimis latronibus adversus legem Christi sint praedae?!

Quid sentient Indi de religione nostra, quam impiissimi tyranni iactant docere Indos caedibus et vi bellica subigendos, antequam illis praedicetur evangelium? Cum vim bellicam dico, omnium malorum summam dico.

Armatis ergo copiis annuntiare evangelium alienum prorsus est a doctrina Christi, cuius omnis vita et doctrina mansuetudinem spirat et caritatem.

Hinc infertur Indos impia eorum opera videntes non peccare neque poena dignos esse, si evangelium non suscipiant, neque ulla gens culpabilis esset, quod Christi fidem non suscepisset, si apostoli (per impossibile) eis moribus praediti essent, quibus sunt Hispani.

Indi fratres nostri sunt, pro quibus Christus impendit animam suam: cur eos nihil tale meritos tam immani saevitia prosequimur? Praeterita, quoniam infecta fieri non possunt, tribuantur infirmitati nostrae, dummodo adsit restitutio impie raptorum. Deinceps vero absit omnis saevitia et bellicus apparatus Machometanis aptior quam Christianis. Mittantur ad eos integri praecones, qui Iesum Christum moribus expriment Petrique ac Pauli spiritus referant. Amplectentur illi, sat scio, evangelicam doctrinam. Non enim stupidi seu barbari sunt, sed innata quadam sinceritate simplices, modesti, mansueti, denique tales, ut nesciam, sitne aliqua gens aptior suscipiendo evangelio. Quod semel susceptum mirum est, qua pietate, quo ardore, qua fide et caritate Christi praecepta praestent sacramentaque veneren-

tur. Sunt enim dociles et ingeniosi industriaque ac naturae dotibus plurimas cogniti orbis gentes superant.

'Der altsprachliche Unterricht Jg. XXVII, Heft 6 (1984)



Bartolomé de Las Casas  
(1474-1566)



Juan Ginés de Sepúlveda  
(1490-1573)

In hac controversia Sepúlveda gravem cladem accepit, et libri eius prohibiti sunt. Tamen in theoria quidem 'conquista' percussa est, re vera autem non multa mutata sunt.

Daniel Weissmann



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

AZB

8050 Zürich

3/92

IDIBVS AVGVSTIS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



TOMVS 15

FASC. 94